



Paed.
II
Qu. 20

DISSERTATIO
Conventus Glogoviensis ad S.
DE Stanislavum
PROBLE-
MATE,

An Scholæ publicæ
sint præferendæ institutioni
privatæ;

Bethaniæ ad Oderam

in Illustri Gymnasio Schön-
aichiano habita

a
CHRISTOPH. EHRENERIDO
BUCHOLCERO GORL.

Typis exscripta

a
JOAN. DÖRFFERO.

445387
Pädagog. IV. Q. II.





ILLUSTRIBUS, GENEROSIS
MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS,
DOMINIS:

DN. MELCHIORI, LIB.
BAR. à RECHENBERG: DOMINO
in Klitschdorff / Primferaw / Schlawa / Wartenberg /
Kottenburg & Windisch Boraw / &c. Sac. Cæs.
Majest. Consiliario &c.

DN. CHRISTOPHORO
GEORGIO à BERG in Herndorff / Eladen / &c.
hæreditario in Buraw / Freywalde &c. Judicel
Regl Ducatus Glogov. Adfessori.

DN. JOANNI à BERG
in Herndorff / Eladen / Neugabel &c.

DN. TCBIAE à Schwanensehe / ET
Bregoschün / cognomento SCULTETO : Hirschfeldæ &
Bellaquimontl hæreditario, Sac. Cæs. Majest. Consiliario &
Commissario: Comiti Sacri Palati Fiscique Regl per
Siles. & Lusat. Inferiorem Patrono & JC.



Dominis ac Mœcenatibus suis
gratiosis perpetuâ animi sub-
missione colendis.

Huncq; salemcunq; ingenii
sui foetum

Debitâ observantiâ

Offert ac dedicat

CHRISTOPH. EHRENFRIIDUS
BUCHOLCERUS GORL. Lus.



ILLUSTRES GENEROSI,
MAGNIFICI, NOBILISSIMI

DOMINI,

Domini ac Patroni benignissimi.



Umi serpit hedera; nec
in altum, nisi arborum adhæsu, quasi
implicitis armis erigitur. Nec ego, cui

vellit sepius curam

Invidiâ paupertas,

ad superiores Musas potuissem adspirare: ut ut

Seducta in varias certarent pectora curas:

nisi beneficio illustris ~~et suavis~~ Joachimi à Berg,
& magnificâ liberalitate Vestra jam-nunc sub-
levarer. Nolo autem, in tanta commodi mei
ubertate illam hederæ imitari indolem; quâ
suffocare dicitur arborem complexu nimis
arcto: sed hanc potiùs naturæ partem; quâ
cernimus ab ea parietes exornari & pærgulas
& amœna topiaria. Perinde ego operam da-
bo: ut ita serviam voluntatibus Vestris; deque
me conceptam opinionem piè modesteq;
sustineâ: ut neq; ornamentis Vestris, quæ per
se sunt illustris.^{ma} neq; commodis, dum mo-
do ex me quid tale proficisci possit, defuisse
videar.

A 2

videar. Esto sponſionis hujus meæ quaſi ſyn-
grapha Oratiuncula iſta; quam nominibus
Vestris magnificentiſſimis conſecratum ve-
nio: non perpolitam eam, vivis coloribus e-
loquentiæ; ſed tenui ornatus texturâ pro exi-
litate mei conveſtitam. Vos rogo magno-
perè: ut me porrò patrociniſtuo Veſtro digne-
mini: ſed & levidenſe hoc munuſculum exci-
piatis eâ frontis mentisquæ ſerenitate; quâ
ſolent Illuſtres animæ etiam parva, ab animo
caſto profecta, ſuſcipere: imò quemadmo-
dum.

Placatur pauco thuris honore Deus:

cujus tutelæ Vos Veſtraquæ omnia ſupplex
commendo. Bethan. XXV. April. Ann. cl.
Io xix. = 1613

Gymnaſi

Gymnaſi Schönaichiani
Rector

Caspar Dornavius
ſtudioſæ Juventuti

S. P. D.

Ægyptiorum lex fuit, ab Amaſi olim rogata: ut, quam
pater in Republica fecerat artem, eandem filius ne-
deſereret. Nos inſtitutum illud haud ibimus improba-
tum: dum hoc quaſi grano ſalis condiatur: ne animo
magno, qui ex caſa quoque prodire poteſt, præcludatur accessus
ad Virtutem; qua omnes admittit: nec locum, nec vita genus,
nec familiam reſpicit. Abſq; hoc fuiſſet: Darius, Cyri olim
pharetophorus, non imperaſſet Perſis: Iphicraten, patre ſuto-
re natum, Athenienſes non designaſſent Ducem: Tullum Hoſti-
lium, paſtoritia gentis, Regem minimè ſalutaſſent Romani: nec
Tarquinius Priſcum, mercatoris filium. Illi verò egregiè pa-
triſſare ſe credent: qui magnorum & illuſtrium parentum veſti-
giis ita firmiter inſiſtunt: ut doctrinam eorum juxta & Virtu-
tem imitando exprimant. Habet imprimis hæc ſucceſſio neſcio
quid divini: cum docto Patri, avo, proavo, doctus filius, nepos,
pronepos ſubnaſcitur. Gaudere poteſt hæc gloria, ſi ſtudio ſuo
atq; induſtria, bene partam bene tuebitur, quod ſperamus,
CHRISTOPHORUS EHRENFRIEDUS BUCNOLCERUS:
qui non patre tantum natus eſt Viro literatiſſimo, GODFRIDO:
ſed (ut taceam Majores item doctos) avum quoq; piâ colit
memoriâ ABRAHAMUM; & Theologum amabilem purumq;,
& Chronologorū facile Principē. Ipſe verò nepos; ne infelix illud
ac propè infame dictorium vibrari adverſus ſe ſentiret: nequæ
τίνα ἀνύστατα: ingreſſus eſt idem ſtadium, quo Gentiles ſuos per
Laboris ad Honoris templum præclaro niſu emerſiſſe comperit.

A 3

Nam

Nam & à puero animi rudis testulam expolivit salutari pietatis
succo: & cum vita modestia, superiorum observantia, integri-
tate in pares, fide in omnes, conjunxit liberalissimarum artium,
cum primis hac ætate Eloquentia studia. Recordatus verò Socra-
tus; qui adolescentis periclitaturus ingenium & progressum in
re literaria: Loquere, inquit, ut Te videam: quasi homo sermo-
ne, ut tinnitu nummus, cognoscatur: idem BUCHOLCERUS
instructus beneficio ILLUSTRUM EXECUTORUM FUN-
DATIONIS BERGERIANÆ, posthac Theologia studiis,
in vigilaturus, crastino mane conscendet cathedram: Ora-
tione, diligenter à se elaboratâ, probaturus: utrum præset; do-
mine ingenuum hominem, an in Schola publica edoceri. Vos,
Studiose Juvenes, ad audiendum Vestrum Symmysten, convenite
frequentes: & benevolâ audientiâ contestamini: placere Vobis
eorum conatus; qui cum Demosthene, plus olei, quàm vini cum
Bacchi fraterculis consumunt. Quod verò nondum ego reverti
sum ad suggestum meum: nemo, cui pietatis stilla superest &
æquitatis, officium meum traducet indignâ criminatione. Deus
est, qui supra nos dispensat omnia: qui tot recidivis me adfligit:
ut necesse omninò habeam, quasi ex naufragio tabulas, recollige-
re fractas vires: &, si valeam, aliquid impendere meditationū
(quas ægerrimè sustineo) unde Beato Schönaichio Oratione,
exsequi ali parentemus. Sic Miserator Deus cuilibet tutelari
suâ manu patrociniū præset. P. P. Bethania, ipso GEORGI
die, An. 612. 1709 CXIX.

Disserta-



DISSERTATIO.

Consideranti mihi, & ætiori mentis
indagine rerum humanarum conditionem,
perpendenti, videri solet: ita esse cum artibus
omnibus & scientiis comparatum: ut nulla ex
iis, non dicam, numeris omnibus absoluta sit; sed ne tam
firmis quidem compræbata rationibus: ut nihil in illa re-
prehendi, nihil in contrariam partem adferri vel possit,
vel debeat. In latissimo enim & spaciosissimo campo dis-
persas ac disseminatas videmus illas omnes: ut facilè un-
cuique aditus pateat; liberumque sit, aut judicandi, aut,
si quid alicujus stomacho non arrideat, rejiciendi. Et sane
in hoc judiciorum conflictu cum aliorum, tum imprimis
illorū, qui Academicorū nomen sibi olim vendicabant,
ignorantiam mentisque cœcitatē licet intueri. Hi opi-
nionē tam absurdā erant occœcati: ut nihil tam firmum
ac stabile esse posse existimarent: quin animos nostros sus-
pensos teneret, & tanquam in bivio constitutis occasio-
nem hæsitandi, ambigendiq; ubivis præberet plurimam.
Hos erroneos, si sectabimur; quā animus noster, quem a-
lioqui nunc ad honesta rapi, nunc ad diversa trahi certum
est, sese ex tot Labyrinthis extricare poterit? quid certi
habebit, quod sequatur in liberalium artium & scientia-
rum studiis excolendis? Ne itaque nos ab istis cœcis æ-
ctoribus in ipsa clarissima rerum luce seduci patiamur: a-
gite dissipatā omni in animis nostris dubitationum cali-
gine, eam ingrediamur viam, quam sapientissimorum,
recteq;

recteque sentientium chorus insequitur. Horum iudiciis rectæ rationi consentientibus, nitendum nobis; horum consiliis standum erit; si verum amplecti, falsum averfari cupiemus. Ac sane cum multis in rebus aliis, plurimæ sapius orientur controversiæ: ut quod alter adfirmat, alter neget: tum vel n. aximè de puerorum ingeniis rectè informandis variæ sparguntur opiniones, dissensionesque. Alii quo tempore, aut quo ætatis anno suscipi labor educationis debeat, disquirunt: alii dubitant de loco; disputantque in omnes partes; utrum præstet, pueros in Scholas publicas ablegare; an intra privatos parietes pædagogico alicui informandos committere. Omnino mihi videtur: nullo in argumento alio meam commodiùs versari posse dissertatiunculam: quàm si ex dubia ista de publicæ privatæve institutionis delectu proposita quæstione, utra utri præferenda sit, demonstrarem.

Agite ergo A, O. eam partem, quæ ad Scholas pertinet publicas tueri conabor: & probatissimorum hominum autoritate nixus, rationibus firmissimis, exemplis clarissimis comprobare studebo, parentum esse: liberos suos in Scholas publicas mittere; non pædagogis aut Inspectoribus privatis tantùm committere, si ipsis, ipsorumque studiis probè consultum cupiant. His ita comprobatis; progrediar ulterius: & quæ ex parte altera ab adversariis objici nobis sapiusculè videmus, argumentis itidem haud ficulneis infirmare ac refellere quo potero studio enitar. Quod dum pro ingeni mei tenuitate breviter simpliciterque facio: summoperè à Vobis peto & contendo: ut mihi, in palæstra hac Oratoria antehac parùm exercitato, non aures modò, sed mentes quoque attentas paulisper adhibeatis: quo dissertatiuncula mea his

veluti secundis subvecta ventis, quem sibi proposuit, portum faciliùs consequatur.

Atq; ut potissimùm hinc exordiar, unde hæc omnis causa ducitur: ita sunt naturâ animati mortales, ut, ad ea, quæ cum laude & honestate conjuncta sunt; quæ plurimas commoditates suppeditant; toto animo ferantur, & nihil magis in universa vita expetendū ducant, aut magnificiendum. Quis autem in tanta rerum humanarum ignorantia versatur? qui non intelligat: ea, quæ Regum, Principum, aut Senatorum auctoritate, decretoq; publico sancuntur; quæ hominum literatissimorum & sapientissimorum maturo consilio deliberata concluduntur; longè eminentiora esse, & fructuosiora iis, quæ ex populi eorumque paucorum, qui minimùm sapiunt voluntate atque consensu dependent? Quis verò nescit, quantas magistratus in Scholis publicis erigendis curas suscipiant; quàm legitimo ordine omnia in iis disponere, disposita conservare satagant; quantosque labores earundem causâ summa sapius cum molestia perferre cogantur? Hanc rem tantam, tam arduam, tam difficilem præmaturo & priùs deliberato consilio prudenter dirigunt; integritate summa tuentur: gnari in magno hoc labore esse magnam commoditatis ubertatem. Vident enim Scholas esse seminaria virtutum & honestatis, & officinas earum rerum: quibus benè beateque vivimus: ex quibus prodeunt viri ad omnes communitatis humanæ status adhibendi. Vident peccari in Republicam, nisi sub inspectione publica cives olim ad negotia gerenda idonei educantur. Hanc ob causam ex multis eruditissimos illos tantùm, quos & doctiores aliis, & ad munus docendi publicum aptiores judicant, seligunt; Scholisq; publicis præficiunt: ut in erudienda juventute Scholastica suo quisque fungatur

officio. His ita legitimo ordine dispositis, non tantum subsidia ferunt Præceptoribus: sed auctoritate publicâ & sumptibus propriis conservare, & ad posteros usq; propagare nituntur: quippe qui bonam spem concipiunt; pueros edoctos à Præceptoribus tales aliquando futuros: quales universi in Patriam & Ecclesiam esse debemus. Quid multis opus est? Consilio accurato, deliberatione anxîa erigi, vigiliantia summâ conservari Scholas publicas videtis: æmulandi studium quid in illis ipsis valeat, considerate. Sic ego statuo, &, quemadmodum spero, non erro imprudentius; præsertim cum ita constet inter omnes: ut de eo nemo sanus dubitare audeat: eam esse vim ac naturam æmulationis: ut omnem lapidem moveat; nihil intentatum relinquat; ad ea, quæ non oculis modò intuetur; sed saltem auditione aliquâ percipit, ardentissimo quodam impetu rapiatur. An verò ubi privatae institutiones haberi solent, eam tantoperè dominari putatis? fallimini profectò, si ita putatis. In Scholis publicis sedem locavit fixam; ibi regnat; ibi vires suas exerit potentissimè. Etenim cum ingenia in cœtu scholastico, sint admodum varia, totque commilitones pro se quisque strenuam in Musarum castris navent operam, in dies singulos uberioribus in liberaliù artium scientiis progressus facientes, magno apud omnes, & meritò habentur in pretio; ipsi Præceptores eos singulari præ reliquis amore prosequuntur; conatus laudant, adprobant; & alacrius ad stadium, quod feliciter cæperunt, decurrendum, quasi calcaribus quibusdam instigant. Quantoperè verò hac ratione animi puerorum excitentur atque inflammentur; quis est, qui non videt? Quid hic non agit æmulatio? quid non molitur? quæ, ubi semper cum laudabili (si ita loqui licet) invidentia aliqua solet esse conjuncta

alterius

alterius rebus marcescit opimis:

Crescit tunc laudata Virtus; & exultantes talibus incitamentis animi præclarissimarum rerum aviditate & studio ita permoventur: ut vehementius literarum studiis incumbant, atque in uberiore honestarum artium scientia consequenda omnem suam operam atq; industriam collocent: quò hoc tanto studio facilius ad ea, quæ in aliis esse præclarissima vident, adspirare valeant. Hæc est perpetua lucta; hæc sunt dimicationes in scholis publicis literariæ juventutis. In hac pugna iacruenta nec pauper diviti, nec inferior cedit superiori: sed alter alterum superare & vincere omni studio contendit. Ita comparatum est cum æmulatione: deterrentur hac animi hominum ab otio, ignavia, turpitudine: excitantur eadem ad diligentiam, alacritatem, honestatis etiam studia sedulò excolenda. O rem igitur præclaram! ô summa corporis atque animi contentione, ardentissimoque studio dignissimam æmulationem! Quod si hac de re cuiquam vestrum dubium foret; prodeat in medium Themistocles, qui luculentissimum nobis præbet æmulationis exemplum. Hic enim cum Miltiadem, fortissimum illum Atheniensem Ducem, ob Virtutis eximiam & rerum præclare gestarum magnitudinem testimonio publico amplissimis adfici ab omnibus honoribus, & summis adornari laudibus videret, incredibili gloriæ cupiditate animus ejus ita fuit excitatus: ut, vitam, quam antea cupiditatum illecebris irretitam egerat, in melius commutatâ, totas noctes insomnes duceret: nec dies illi sufficerent ad eluenda propria vitia alienæ virtutis æmulatione.

Stupendam hanc hominis metamorphosin admirantibus, & hujus rei causam suscitantibus respondit: Miltiadis tropæa somnum sibi adimere. Satis mihi multa verba fecisse

fecisse videor, quàm sint necessaria; quàm longè præfere-
nda privatis scholæ publicæ, cum tantum possit in iis
æmulandi studium: restat, ut quid ad modestiam confe-
rant, dicendum esse videatur. De hac agam breviter, ut
de cæteris. Talis est Virtus modestia: ut de se nec sentiat,
nec loquatur amplius; quàm res aut judicia probant illo-
rum, quibus cum conversamur. At quàm multi reperi-
untur nasci tui, qui detestando illo, & liberalibus ingeniis
indigno laborant *Φιλανθίας* vitio! Hi intra domesticos pa-
rietes præceptorum privata curâ licentiosè educati & e-
docti, ita se jactare solent, tantos sumere spiritus: ut sibi
omnia tribuere audeant, se sapientissimos omnium esse
glorientur. Jam si aliquis tam sit impudenti animo: ut i-
sta omnia in Scholis quoq; publicis fieri adfirmare audeat:
cum ego non tantum expertem literarum & prudentiæ;
verum etiã lucrationis orbatum judico. Quis enim
est: qui si non oculis externis, mentis tamen intellectu
perspiciat, quanto perè in Scholis elucescat modestia? Plu-
rimi namque animadvertunt: eos sapè, quibus cum vel
eodem tempore ad studia literarum accesserunt; vel etiã
ante illos literis operam navare cœperunt, egregios lau-
dabilesq; facere progressus; atq; in dies singulos doctio-
res sapientioresq; de rebus tum judicandi, tum differen-
di non sine laude evadere. Ex horum numero ii, qui libe-
ralioribus suat præ cæteris præditi ingeniis; tum demùm
non sine animi mœrore ac humilitate magno suo cum de-
trimento experiuntur; quàm exiguos fecerint in studiis
progressus. Etiam hoc adjungo: quando alii ab doctrinæ
elegantiâ summis laudum encomiis extolluntur: isti se
suasque vires ponderantes humili animo se subjiciunt,
& ab iisdem tanquam in superiori dignitatis gradu consti-
tutis semper aliquid, quo doctiores evadant, cupiunt ad-
discere.

discere. Jam ponite Vobis ante oculos, quæso, institutio-
nem privatam, eamq; diligenter expendite: intelligetis
profectò: in ea modestiæ studium penitus exulare, & plã-
nè negligi. Omnes enim illi, qui tam delicatè in privatis
ædibus informantur, omnia pro libitu arbitrioque suo
faciunt, tantumq; sibi arrogant: ut cœteros (eos autem
maximè, quos inferiori loco constitutos aut prognatos
esse vident) tanquam meras umbras alto quædam super-
cilio despiciant, seque solos sapere inani persuasione opi-
nentur. Hæc cum superioribus seculis sapientissimi quiq;
atq; imperio ac Majestate florentissimi Imperatores ani-
madverterent, ac prospicerent: juventutem ejusmodi in-
stitutionib. privatis magnã studiorũ pati jacturã; pessimè
illis consuli; à Virtutis tramite abduci potius, quã adduci:
collegiis privatis abrogatis, scholas constituere publicas.
Multi n. erant, qui temporib. illis pueros hinc inde ex lo-
cis variis colligebãt; eosq; clam intra privatas ædes in bo-
nis literis informabant. Rumoribus hisce ad Imperatores
delatis, tantoperè fuere commoti: ut homines istos in-
eptos dicam, an exitiosos non verbis modò objurgarent,
sed severissimo quoq; mandato iis interdicerent: nequis
tam pernitiola instituta sine ipsorum vel consilio, vel
consensu susciperet; aut jam suscepta continuaret. Hoc
autem edictum quicumq; transgrediebantur: in eos gra-
viter animadvertere; illisque pœnas contumaciã suã con-
dignas irrogavere. Fundamenta nimirum & Ecclesiæ &
Reipubl. jacent magistratus: qui fundamenta Scholarum,
rectè jacent. Sed ne benevolã Vestra attentione abuti vel-
le videar: unum adhuc saltem brevibus exponam: quod
cum fecero, ad alteram dissertatiunculæ meæ partem me
conferam. Ita nos homines natos esse videmus: ut alter
alterum sibi deligat, cui se adjungat; quò cum vivat ac

conversetur: quò omnibus mundi temporibus in his ter-
ris societas humana ritè excolatur, firmissimèq; conser-
vetur. Quà verò ratione animos hominum ad civilem,
hanc conversationem præparari commodissimè putatis?
Num intra domesticos parietes? At sicuti quotidiana re-
rum experientia attestatur: multoties usu evenit: ut pri-
vatus Præceptor unicum saltem habeat, quem erudiat,
qui de die n. semel quidem domo exeat. Quæ autem hic
potest esse societas, quæ isti cum aliis intercedere possant;
jura necessitudinis: cum neminem habeat, quo cum con-
versetur, nec ullum unquam mortalium in sui societa-
tem admittat? Ubi igitur ejusmodi societates, quæ stabi-
les sunt, & firmæ, reperiuntur? Dicam: non nisi in Scho-
lis publicis: illæ namq; ipsæ sunt, in quibus pueri eadem
stûdia tractantes summâ inter se familiaritate conjun-
guntur: alter alterius sibi conciliat favorem: alius cum
hoc vel illo vivit conjunctissimè familiarissimèque. Hac
ratione aliquando viri facti, non ad exactam modò æta-
tem; sed ad extremum usq; vitæ spatium fartum tectum,
conservant foedus olim in amabili Musarum commilitio
contractum. Quam ob causam Vir quidam, quicumq; ille
fuit, doctrinâ certè & Virtute præstantissimus, non mi-
nus verè, quàm sapienter dixit: Amicitias militum esse,
ex periculo, aulicorum ex poculo, mercatorum ex lucro,
Scholasticorum verò tum demùm ex honesto. Verum e-
nim verò tametsi permulta sint; quæ mihi, antequam al-
teram dissertat. meæ partem aggrediar, de Scholis publi-
cis comprobanda veniant: tamen & temporis ratio, & sin-
gularis vestra in me audiendo benevolentia, quâ nihil
mihi hodiernâ luce existere potuit vel jucundius, vel ma-
gis gratum, me admonet: ut his omnibus posthabitis, ad
ea, quæ in suspitione sunt posita, quæq; contra hanc meam
opinionem

opinionem nonnulli in medium proferunt, me conver-
tam. Has opiniones contrarias tantâ, quantâ fieri poterit
brevitate, quæ mihi met ipsi amicissima est, refutare ac
refellere conabor. Quod dum facio: peto à Vobis atq; con-
tendo: ut, sicut jam mihi audientiam Vestram atq; atten-
tionè declarastis: ita in reliquo hoc, qui superest decursu,
benignè me audire, ne dignemini. Ac primo quidem re-
periuntur aliqui, qui hoc stabilire sententia suam fun-
damento nituntur; quòd dicant: cum multis sit ad erudi-
endam juventutem opus ad maniculis; tum vel accuratam
maximè distinctionè indolis requiri; rem verò perquam
arduam esse ac difficilem, si in officio publico constitutus
præceptor, qui in tã varia ac plane diversa puerorû inge-
nia suas partiatur operas, singulorû naturâ satis accuratè
perspicere ac dignoscere debeat. Què admodû n. (ajunt)
aqua ex fluminib; copiosioribus hinc inde in plures alios
diducta rivulos, minuitur: sic quoq; Præceptori publico

Pluribus intentio, minor est ad singula sensus.

Quid? annon in Scholis puerorum ingenia; quæ nobilia
sunt, quæ ignobilia, quæ liberalia, quæ illiberalia à suis
præceptoribus, qui & prudentiæ & rationis habent ali-
quid, multò accuratius; quàm ab inspectoribus privatis
pernoscentur, ac discernuntur. Qui uniones, qui ada-
mâthes, qui Sapphyros preciosissimos colligit; ex his autè
optimos ac præstantissimos quosq; cupit se ligere: tum de-
mùm, qui nobilissimi sint, rectissimè dignoscet, si plures
inter se collatos inspexerit. Idem plane de ingeniis istis
dici posse statuo. Præceptores quippe etsi magnâ habent
Scholasticorum frequentiam: singula tamè istorum inge-
nia diligentissimè circumspiciunt, ac seorsim quotidie
considerant; ut ea, ad judicii libellam appensa, pro
sapientiâ, quâ valent plurimum, quæ sunt nobilif-

suva

sima exactissimè cognoscant, accuratissimè descendant.
 Quid verò de illis, quos pædagogos privatos appellamus
 dicam? quomodo puerorum ingenia explorare possunt
 qui in docendi munere aut parum, aut nunquã sunt ver-
 sati; qui perrarò accuratam discipulorum curam agunt?
 Plerunque ex iis nonnulli sunt ita inexercitati: ut ipsi in-
 stitutione publicã multis in rebus videantur indigere: in
 paucitate verò ingeniorum discrimen agnoscere neque-
 ant. Pergunt ulteriùs adversarii nostri; & dictitant: tan-
 tam esse in Scholis multitudinem: ut possit nunquam om-
 nibus in informatione satisfieri. At ego non video; in-
 gens iste numerus qui impedimento, qui obstaculo esse
 queat; quò minùs dextrè in ludo literario erudiatur stu-
 diosa juvenus. Verù enim verò si maximam esse discen-
 tium multitudinem videmus; ex adverso certè non mi-
 nimam esse solere copiam Præceptorum ac magistrorum
 cernimus. Hinc fit, ut conjunctis operis alter alteri ma-
 nus ferat auxiliares: quò non duobus tantum, aut tribus;
 sed omnibus & singulis docendi munere queant satisfacere;
 non aliter, ac manus, in quinque digitos divisa, mirã
 naturæ fabricã, flectitur atq; extenditur non pro uno ne-
 gotio, sed pro variis expediendis ac òmodatissima. Nec
 verò (ut quidam sapientuli, aut etiam parentes ipsi falso
 sibi persuadent) præceptores publicè prælegentes neces-
 se habent: ut lectiones, quas tradunt, discipulorum omni-
 bus & singulis seorsim præscribant atque inculcent. Est
 quidem pullorum in pluvium ea conditio: ut ab ore a-
 lieno cibos, qui singulis ingerantur, captare necesse ha-
 beant. At verò Scholas Vobis ante oculos ponite quæso,
 ac perpendite; quàm non sit eadem in illis ratio: utpote
 in quibus quæcunq; tractantur; quæcunq; proponuntur,
 ita solent accommodari: ut non ad unum aliquem, sed ad
 omnes

omnes: quæ ac singulos directa esse videantur. Si quid u-
 ni ex cœtu dicitur; id cæteris surdã aure præter-
 e non conceditur, quasi ad se minimè pertineat.
 Sed ne in his immoremur diutiùs; urgent isti deinceps
 Præceptorum mutationes; quas dicunt frequentissimas
 esse in Scholis, & in medio studiorum cursu discitentibus
 obstaculum objicere. At per DEUM Ìmmortalem, quis
 ita mente est captus, ut non videat; quàm nulli sit res ista
 momenti? Proprio veriùs isti homines seipso jugulant
 gladio. Etenim quis ita parum in scholis versatus publi-
 cis? quis ita institutionis publicæ ignarus; ut nesciat: fre-
 quentissimas esse pædagogorum, non item præceptorum
 publicè docentium commutationes? Quando privatam
 aliquam suscipiunt pædagogiam, & ejusmodi nanciscun-
 tur locum; qui ipsis minimè arrideat: huic statim valedi-
 cunt, quærunt alium sibi magis idoneum. Hac ratione id
 effici, testis est experientia: ut non alterius, sed singulis
 ferè annis, non pædagoگو primo secundus; sed in secun-
 di locum tertius sæpissimè succedat. Hoc in scholis mini-
 mè accidit: quippe in quibus nisi aut necessitati tale quid
 exigenti, sit parendum; aut ex Dei præpotentis singulari
 providentia ac voluntate, (quæ semper optima à nobis
 est agnoscenda) ex docentium numero quispiam morte
 surripiatur, præceptores publici perrarò immutantur;
 vel novi unquam substituuntur. Multa consuldò præter-
 eo, quod mihi non tam de copia laborandum sit; quàm ut
 effugiam satietatem aurium Vestrarum: quare quid de-
 formandis roribus confingere soleant, paucis percipite.
 In officinis liberalium artium, ajunt, informari juvenu-
 tem scholasticam in moribus rectè non posse; posse priva-
 tim commodissimè, id verò adfirmare non erubescunt.
 Nonne verò intelligitis A. ex quorundam malevolorum
 C se nun-

sermūculis hæc ab istis esse collecta? Quoties, prohi dolor, videre est: plurimos domi semper, quasi in abscondito quodam latitantes angulo, moribus esse tam agrestibus, tam horridis: ut rusticitatem potius, quàm civilitatem, ferociam, quàm humanitatem præ se ferre videantur? Et quid mirum? magnum & per frequens est famulorū quorundam, quibus cum quotidie conversari necesse habent liberi, adulandi studium: quo nihil pestilentius: adeò, ut non tam gladius persecutoris feriat membra corporis; quàm lingua adulatoris venenata corrumpat mentes hominum. Subsequitur hanc nimia quorundam Inspectorū oscitantia; quâ non parùm corrumpitur juvenus licentiæ aliàs plus justò addicta. Ac ut non omittam parentes; quib. ista omnia ex æquo conveniunt: quoties patres plus de cæteris rebus domesticis, quàm de liberorum suorum legitimâ educatione solent esse solliciti? quoties tales inter eos reperimus; qui aut in officio sunt constituti publico; aut variis & multiplicibus negotiis alienis districti: ut curam liberorum accuratam agere nequeant. Quare ut interim liberi in pietate, morum probitate, ipsisq; bonis literis educentur atq; informentur: nemini tutius eorundem cura committi posse autumant; quàm ipsis matribus: in quo tamen errant crassissimè. Quid enim matres faciunt aliud; quàm ut ex innata ipsis erga liberos suos φιλοστοργία sed tenerâ nimis, multa illis permittant, tantumq; indulgeant: ut, postquam adoleverint, nihili faciant parentum minas, pædagogorum monita fidelissima negligant; & pro libitu viventes, alto supercilio despiciant? Quare nihil efficiunt parentes aliud; quàm ut sibi ipsis dolorem, ac damnum ultrò accersant. Quemadmodum enim simiæ catulos suos quos nimis immodicèq; diligunt, solo complexu necant: haud absimili ratione parentes, qui

qui liberis suis ex impotenti erga eos adfectu nimium indulgent, illos planè corrumpere tam est certum, quàm certissimum. Et si mihi fidem non habetis: audite Quintilianum præclarum Oratorem: qui luculentissimo suo id ipsum comprobatur testimonio: Mores, inquit, pravi in Scholis publicis non discuntur, sed in eas ipsas inferuntur. O singulare de hac ipsa re, hominis sapientissimi judiciū. Neq; silentii velariis contegendum id est, quod doctorum haud ullus negare poterit: morum nimirum elegantiam ordini literario esse per quàm necessariam, omniq; ætati honestamentum addere sanè non exiguum. Nam nisi puerorum animi in ipso statim juventutis flore, honestâ elegantiq; morum conformatione imbuuntur: quid, quæso, præstare poterunt, si aut in publico constituti officio; aut negotiis vel propriis vel alienis conficiendis occupati erunt. Hæc, si probanda est honestas, si edenda civilitatis specimina in publico, in luce hominum, in oculis excellentium virorum: vah quàm non sine ingenti ignominia, summoq; dedecore videmus honestati præiucere inhumanitatem; rusticitatē verò atq; incivilitatem civilitati! Et sane quantū mortalibus in tota vita honestè transigenda ornamentum addat elegans morum conformatio, probè intellexisse videtur Aristippus Philosophorum sui seculi ut doctissimus, sic sapientissimus. Hunc cum aliquando quidam conveniret, & percontaretur: quid filius suus emolumentum sit percepturus, si literis erudiendus committeretur: cordatè is & nervosè respondit: * *νεχέει* * Nihil aliud, quàm *μηδέν ἄλλο, ἢ γέν τῷ θεάτρῳ ἢ καθεδήσεται λίθῳ ἐπὶ λίθῳ.* ut in theatro lapis super lapidem non sedeat.

C 2 A. O.

A. O. in scholis publicis etiam moribus puerorum ingenia rectius informari; quam fieri ut plurimum privatim soleat. Quamobrem neminem opinor futurum, qui refragabitur, filios suos iis in locis instituendos, quibus & doctiores existunt & meliores. Verum cum Antagonistæ nostri suis argumentorum rationibus privatam institutionem defendere nequeant,

Et adhuc sub Iudice lis sit,

rem demonstrare conantur exemplis non unis magnorum clarissimorumque virorum. Adducunt ex sacris regum Prophetam Davidem: ex historiis prophanis, Julium Cæsarem, Octavium Augustum, Carolum Magnum, Chaldaeos, Ægyptios. Ego verò ne in hac quoque parte quicquam illis concedam; ea ipsa, quæ proferunt exempla contra nos nihil, pro nobis autem multum facere, ostendo; & in medium productis aliis his planè contrariis ad oculum re demonstrò. Ex his luculentissimè apparet: Viros hosce sapientissimos scholas publicas nunquam abolevisse; sed earum Promotores semper extitisse magnificentissimos, munificentissimosque. Ac ut à sacris potissimum exordiamur: non equidem insiteor: Davidem, filium Salomonem instituisse; ad pietatem, vitæ sanctimoniam, Virtutis justitiæque studium cohortatum diligentissimè fuisse, ipsa sacra contestantur literæ. Verum non fecit hoc in opere pientissimus Rex, quod omnes pios decet parentes. Nec verò, quasi tantum privatim filium instituerit Regius iste Propheta, quis existimet: multoties cum cætoribus suis, quos adjuutores & divini nominis collaudatores habuit, in Synagogis exercitia sacra instituit: sapientissimè verò cantica sua, hymnos, Psalmos, quos pari pietatis zelo, pari industriâ conscripsit pleno perfectoque; choro decantavit. Quotidianâ hæc Davidis exercitia fuisse ex titulis quos
Psalmis

Psalmis suis plerisque præfigere fuit solitus, plus satis adparet: Filios verò unâ fuisse adhibitos, nihil vero est simile, imò nihil certius. Julius quoque Cæsar potentissimus ille, atque omnium Romanorum Imperatorum laudatissimus Monarcha, cum jam animo prospiceret: studia literarum multum utilitatis conferre ad conservandas ac stabilendas Respublicas, ad Virtutem consequendam, ad conversationem civilem, ad omnem denique vitam honestè transigendam; non Romæ tantum, verum etiam in provinciis suis, quarum locupletissimas, numero plurimas, omnibus rebus ornatas atque refertas habebat, magnis sumptibus scholas erexit publicas, viris doctissimis undique convocatis. Jâ verò non est silentio prætereundus Octavius, Monarcha item potentissimus: qui homines literatos, magnis in delitiis habebat; familiarissimè cum iis vivebat. In primis autem Horatium & Virgilium poetarum, si qui unquam fuere, præstantissimos, & facile principes multoties non ultrò tantum ad se invitari iussit, & ad colloquia lubens lætus admisit: sed eò usque se demisit: ut præsentiam suam persæpè ipsorum collegia publica cohonestaret. Cumque aliquando eorum lectionibus interesset; & loco inter utrumque medio consedisset, modestissimus Cæsar dixisse traditur: Sedere se inter suspiria & lacrimas; indigitans lippos oculos, quo vitio laborabat Horatius: & frequentia ex sanguine melancholico suborta suspiria, quo plurimum abundabat Virgilius. Commemorandus quoque venit eodem nomine Carolus Magnus, cujus prudentia & liberalissimis animis tantus fuit: ut nec ullo in genere Virtutis, nec felicitate animi & corporis, nec autoritate dignam quam habuerit superiorem. Is, attestantibus probata fidei scriptoribus, Parisiis in celeberrima illa, nobilissima, ac populosissima civitate scholam erexit publicam;

collegiis magnis sumptibus exstructis quàm plurimis: quæ & ipse haud rarò inuisit, & officinas esse voluit, quibus liberi sui edocerentur. Ex quo nemini obscurum esse potest, cum institutionem privatam publicæ nullo modo anteposuisse: sed, quod vero per quàm ad fine, publicam, cum privata conjunxisse. De Ægyptiis & Chaldæis quid dicam? Negari non potest, tunc temporis Sacerdotes sacra literarum & doctrinæ reconditæ adyta solos possedisse. Verùm neq; hoc dissimulari debet, illos publica aperuisse gymnasia, publicisq; lectionibus cum aliis sapientiam suam communicasse: quod luculenter evincunt tot antiquissimorum philosophorum peregrinationes: quos doctrinam suam non nisi ab Ægyptiis hausisse constat. Intelligitis nimirum ex his: præclaros istos Heröes non modò non contempsisse aut neglexisse; sed magno in pretio & æstimo habuisse scholas publicas, cum ipsi (ut audivistis) celeberrimas & numero plurimas magnis impensis erexerint & fundarint; rati, utrasq; & publicas & privatas institutiones esse conjungendas: quod etiam meâ sententiâ, & prudentissimorû virorum judicio summoperè fructuosum. Etenim, quemadmodum illi, qui duabus nituntur anchoris, & tutiores sunt, & suavius conquiescunt: ita etiam cum institutione & doctrina comparatum esse solet; qui longè feliciores sortitur progressus, & uberiores in puerorum animis gignit fructus, si ad lectiones publicas accedant privatæ exercitationes, repetitionesq; creberrimæ. Si igitur id, quod res est, fateri; si recta & vera speciosis ac fucatis antepone; si quantæ scholæ publicæ sint, non quanti vulgò æstimentur, spectare volumus: videbimus sanè, multò plus habere illas momenti atq; utilitatis; quàm ut pleriq; privatæ institutionis partes defendentes, fortassè opinentur.

Hæc

Hæc brevibus pro scholis publicis concinnare, atq; in campum hunc producere volui: non quidem ea, quæ vel debui pro rei dignitate; vel volui, cum id temporis non patiarur angustia: sed, cum me tyronem & parum ante hac versatum in hoc exercitii genere ingenuè fatear, quæ pro ingenii mei tenuitate potui. Quam ob causam, si quæ minùs dextrè, minùs eleganter dicta sunt, veniã me spero, mereri posse. Quamobrem vnde est exorsa, in eodem terminetur dissertatiuncula nostra. Id igitur ostendi: Scholas publicas plurimorum sapientissimorumq; virorum consiliis & deliberatione diuturnâ erigi. Demonstravi: in iis æmulationem tantum posse: ut tum ad studia seriò excolenda, tum ad majorem diligentiam in iis pertractandis adhibendam excitentur liberalia puerorum ingenia. Comprobavi etiam: scholas ad modestiam referre plurimum, cum adolescentes de se sentire submissivùs discant. Dixi denique: adolescentes aditum sibi quasi præparare in iis ad conversationem civilem cum aliis in eundam; & ad amicitias firmissimas constantesq; sanciendas. Audivistis porrò posse Præceptores in scholis publicis discipulorû suorû ingenia, licet ingens sit eorum numerus, rectissimè dignoscere, optimè distinguere. Percepistis; juventutè scholasticâ à publicis præceptorib; non negligi, sed excitari potiùs ad majorè attentionè; dum quod uni dicitur, alter quoq; sibi dictâ putet. Intellexistis præterea: mores non corrumpi, sed in scholis mores pravos atq; agrestes corrigi atq; emendari. Inspeixistis denique magnorum sapientissimorumq; virorum exempla egregia & luculentissima; ex quibus satis colligere potuistis: Heroes præclarissimos scholas non abolevisse; sed prudentissimo consilio erexisse; magnis autem sumptibus conservasse. Quæ cum ita sint, ut certò sunt; agite omnes &

& singuli qui parentes esse, & haberi vultis: officium
Vestrum, quod Vos maximè condecet, sedulò facite: no-
lite per Deum liberos Vestros nimio amore atque immo-
dicà indulgentià educare; nolite eorum animos suavilo-
quio demulcere; à sodalitiis autem pravis, graviori in eos
animadversione, prohibete, propellite. Sic liberis Vestris
rectissimè consulètis, iisque nobilissimum cùm Virtutis,
tùm solidæ eruditionis thesaurum comparabitis: si
eos in scholas publicas, in quibus & doctiores
evadunt, & cultiores, ablegabitis.



Konserw. i oprawę wyk.:

Krystyna Opala

(188)

